

ACCEDIT etiam auctoritas sacrarum literarum, & Theologorum ad confirmandum hunc numerum denarium celorum, & ad ponendum saltem unum adhuc cælum supra firmamentum. Cum enim legamus in sacra Genesi, Deum posuisse firmamentum diuidens aquas ab aquis. Item in psalmo 148, Et aque omnes, quæ super cælos sunt, &c. nemo recto iudicio intelliget eo loco aquas supra cælum octauum esse fluxibiles, & caducas, sicut sunt istæ inferiores; Sed nomine aquarum intelligendum erit, ut plurimi Theologorum explicant, Cælum nonum, vel potius aggregatum ex nono, ac decimo cælo; quod propter claritatem, & perspicuitatem, quam habet, cum ibi nullæ sint partes densiores, ut in reliquis orbibus, cuiusmodi sunt astra, nomine aquarum optimo iure appellari potest. Quare a nonnullis Theologis dici solet cælum glaciale, seu aqueum; Et ab alijs Crystallinum.

SUPRA hos vero decem cælos mobiles Theologi, ut Strabus, Venerabilis Beda, & omnis iam Theologorum cætus, aliud cælum esse affirmant, immobile quidem, & nulla præditum stella, sed felicitæ angelorum, & Beatorum sedem, ac patriam, quod vocant cælum Empyrcum, ab igne, quod mire sit lucidum, & ingenti claritate præditum. Hoc tamen cælum nullo modo ab Astronomis cognosci potest, cum non moveatur.

NIHILOMIVS non desunt, qui certis quibusdam experientijs probare nituntur, valde esse conueniens undecimum illud cælum prorsus immobile supra omnes cælos existere. Nã, aiunt, ut Plinius testatur lib. 8. cap. 16. In Europa inter Acheloum, & Nestum amnes, procreantur leones longe viribus præstantiores ijs, quos Africa, aut Syria gignit. Cum igitur hoc non fiat per totam eam latitudinem, seu tractum terre ab oriente versus occidentem, in quo dicti amnes sunt siti, causa huius varietatis erit, ut asserunt, influxus alicuius cæli immoti super illum tractum terre. Si enim causa esset influxus stellarum, seu spherarum mobilium, deberent per totum illum tractum ab oriente versus occidentem, propter continuum motum stellarum, tales leones nasci, cuius oppositum videmus. Deinde quia in Hungaria sub latitudine 47. gr. equi velocissimi procreantur, & validissimi, qui in alijs regionibus eiusdem latitudinis, minime producuntur. Deniq; in Mauritania innumera quasi firmæ generantur: Et multa alia huiusmodi experientia adduci possent, ut a vitibus, arboribus, fructibus,